

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. An angelus seipsum intelligat per suam substantiam tanquam  
speciem impressam vel expressam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](#)

potest esse universalis. Antecedens probatur. Species per se ordinata ad representandum objectum sumit suam unitatem ab objecto: sed plures quiditates specifica non habent inter se unitatem; ergo neque per unam speciem possunt representari.

Respondeo negando antecedens, & majorem probationis distinguo. Species sumit unitatem ab objecto considerato in esse objecti, concedo, in esse rei, nego, & pariter distinctam minore, nego consequentiam. Illud autem esse objecti, sub quo plures quiditates convenient & attinguntur ab una specie, est probabiliter earundem convenientia sub certa habitudine ad aliquem finem, vel ad ideas Divinas, à quibus Angelicæ species caulantur & exemplantur.

¶. Objic. quartò. Ponamus, quod infimus Ange-

lus per unam speciem cognoscat 100. quidditas species distinctas, tunc sequeretur, quod DEUS crearet 1000. inferiores Angelos, millesimus ex ipsis, quamlibet illarum quidditarum cognosceret ad minimum per 10. species; sed hoc pugnat aperte conclusio: ergo,

Respondio negando sequelam. Nam et probabile, quod quilibet Angelus omnes quidditas corporicas cognoscat per unam speciem, ita & diversitas universalitatis in speciebus Angelicis tantum reperiatur in comparatione ad cognitionem mutuam Angelorum. Unde in isto possent inferiores Angeli habere aequalem universalitatem respectu corporearum quidditatum, in tamen, ut esset diversitas universalitatis respectu spiritualium & Angelicarum quidditatum.

## DISPUTATIO XXX.

DE

### Obiecto cognitionis Angelicæ.

Ad q. 56. & 57.

Cum intelligibilitas sit entis proprietas, cum illo convertibilis, ideo sicut aliud genus entis est materiale, aliud immateriale, ita pariter obiectum cognitionis Angelicæ, aliud est immateriale, aliud materiale; & de illo D. Th. agit q. 56. de illa q. 57. Nos in praesenti disputatione de utroque.

### ARTICULUS I.

Quomodo Angelus intelligat seipsum?

S U M M A R I A.

1. Status questionis.
2. Angelus cognoscit se per suam substantiam seu speciem impressam.
3. Non autem tanquam per speciem expressam.
4. Essentia Angeli respectu sui intellectus non est prior & posterior in eodem proximo generare cause.
5. Potest substantia esse immediata operativa per modum complementi potentie in ordine intelligibili.
6. Non semper species intelligibilis subordinatur intellectui.
7. Substantia Angeli non est immediata intellectus in actu.
8. Etiam anima separata se per seipsum intelligit.
9. Angelus per suam substantiam cognoscit suas operationes, species & proprietates.

§. I.

An Angelus seipsum intelligat per suam substantiam tanquam speciem impressam vel expressam?

1. Cum Angelo non possit aliquid obiectum esse conaturalius seipso, certum est, quod Angelus cognoscat seipsum. Dubium porro est, an ad eumodi cognitionem indigat species accidentali sua substantiae superaddita, sive in actu primo, ut Vasquio placuit, sive in actu secundo, ut Gonet cum communii Thomistarum; vel utrum

ad utrumque munus tam impressa, quam impressa speciei, Angelo sua substantia sufficiat; quo modo essentiam Divinam ad beatificam rationem concurrere dicatum est in Tract. de ratione: quod Cajetano & Nazario probabile sunt est.

CONCLUSIO I. Angelus ad sui cognitionem non indiget specie impressa accidentali sua substantia superaddita. S. Di. hic. a. 1. Ratio est. Essentia Angeli haber omnia requiri, ut si ipsam intelligiblum in actu primo: ergo omnis alia species impressa est superflua. Consequencia patet. Officium quippe speciei impressae est ut sit vicaria obiecti, cum obiectum leprolo in intellectui debite præsens & unitum esse non possit. Antecedens probatur. Substantia Angeli est in eodem immaterialitatis gradu cum ejus intellectus est intimè eidem præsens, & unita, siquidem intellectus in illa physice radicatur; sed hoc summa quista, ut obiectum sit proximè intelligibile in actu primo: ergo.

CONCLUSIO II. Angelus substantia non potest seipsum habere rationem verbi seu speciei expressae; sed ad hoc necessario requiritur species accidentalis. Ratio est. Eesse speciei expressae est esse obiectum intellectum in actu: sed esse intellectum in actu est Angelo accidentale; ergo etiam species expressae est ipsi accidentalis. Minor probatur. Si esse intellectum in actu esset Angelo substantiale An-

quidam  
quidam  
mille  
rum cog  
d hoc  
el pro  
diddit  
, ita ut  
Angeli  
cogniti  
llo ca  
unive  
tum, in  
reipedi  
quidam  
quidam  
mille  
rum cog  
d hoc  
el pro  
diddit  
, ita ut  
Angeli  
cogniti  
llo ca  
unive  
tum, in  
reipedi  
gelas effet suum intelligere, & actus purus; sicuti  
propterea Divina essentia est inum intelligere &  
actus purus: sed hoc implicat: ergo.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

**O**bijecies primò. Si essentia Angelii haberet per ipsam rationem speciei & formae intelligibilis: tunc in eodem genere causa esset prior & posterior, potentia & actus: consequens est absurdum. ergo. Sequela probatur. Species intelligibilis in genere cause formalis actuatur, & compleat intellectum, & essentia in genere causa formalis actuatur ab intellectu, seu subjectum ab accidente & essentia à proprietate: ergo si essentia Angelii simul est species intelligibilis, tunc simul in eodem genere causa formalis actuatur, & actuatur, etique proinde scipsa prior & posterior.

Respondeo distinguendo sequelam. Eset in eodem genere causa remoto potentia & actus, concedo, proximo, nego, & ad probationem. Species in genere causa formalis intelligibilis ad actus potentiam, concedo, causa formalis naturalis, nego: ergo essentia Angelii simul actuatur in genere causa formalis intelligibilis, & actuatur in genere causa formalis naturalis, concedo, sequitur, nego minorem & consequentiam.

**O**bijecies secundò. Sequeretur, quod aliqua substantia creata elet immediata operativa: nam species est principium etiam effectivum cognitionis: sed ipsam substantiam Angelii esset species: ergo ipsa substantia Angelii nullo altero mediante foret effectiva intellectionis.

Respondeo distinguendo sequelam. Aliqua substantia effet immediata operativa per modum complementi ipsius potentiae, & in ordine intelligibili, concedo, per modum potentiae, & in ordine enitativi, nego. Ratio responsoris est, quod ultima actualitas forma intelligibilis sic intelligitur, sicut actus adequatus essentiae est esse. Unde cum substantia Angelii simul sit forma intelligibilis, pro suo actu adaequato in genere intelligibili recipit intellectionem, nec proinde prohibetur, quin saltem per modum complementi ad intellectionem immediatè concurrat: in ordine vero enitativo essentia pro actu adaequato non respicit intelligere, sed esse: & sic substantia Angelii pro principio Physicè elicitive intellectionis requirit distinctam potentiam intellectivam. Nam esto, quod substantia Angelica in eodem genere remoto causa formalis effet simul actuans & actuata, effet tamen actuans solidum in genere proximo causa formalis intelligibilis; effet vero actuata per intellectum duxata in genere proximo causa formalis naturalis, quod nullam habet repugnantiam. Ita S. D. q. 8. de ver. a. 6. ad 2. *Ef*fen*tia Angelii, quamvis non possit comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in effendo; comparari tamen ad ipsum ut actus ad potentiam intelligendo.*

**O**bijecies tertio. Species intelligibilis tanquam principium quo intelligendi subordinatur intellectui in ordine ad producendam cognitionem: sed substantia Angelii non subordinatur suo in-

tellectui: alias quippe praepostero modo substantia subordinaretur accidentibus: ergo substantia Angelii non est species intelligibilis ipsius.

Respondeo vel negando vel distinguendo magorem. Subordinatur intellectui, quando ab ipso dependet in esse & sustentari, concedo, secundus, nego, atque Angelii substantia in esse & conservari non dependet ab intellectu, sed è converso intellectus ab ipsa.

Objecies quartò. Angelii substantia est etiam 7. semper intellectiva in actu secundo: ergo non est ratio, cur non etiam possit habere rationem species expressa. Antecedens probatur. Quia ut jam dicitur, Angelus semper est in actu respectu sue cognitionis.

Respondeo. Est semper intellectiva in actu secundo, qui sit actus immediatus suam essentiam, nego. sic enim etiam foret suum esse, & actus purus, quod implicat, qui sit actus immediatus distinctæ & accidentalis cognitionis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

## §. III.

## Corollaria.

**C**olliges primò. Quid anima rationalis in 8. statu separationis constituta non indiget species accidentali impressa, sed libipsum sufficiat ad sui cognitionem: cum enim si substantia immaterialis, & forma intelligibilis, remoto impedimento corporei vinculi (quo in praefenti vita adstringitur, ut tam sui, quam aliorum objectorum accipiat cognitionem per conversionem adphantasmata) ex ipsis rationibus sibi sufficit ad munus speciei impressa, ex quibus Angelii essentiam sufficeremus.

Colliges secundò. Angelos per suam essentiam 9. cognoscere suas proprietates, operationes & accidentia connaturalia. Ratio est; cognitione perfecta & comprehensiva Angelii requirit speciem perfectam & comprehensivam, qua representet effectus in causis, sed Angelus per suam essentiam comprehensivè cognoscit seipsum: ergo essentia Angelii etiam representat omnes suos effectus, qui in ipsa radicantur, aut in ipsa continentur; sed ejusmodi effectus sunt Angelii proprietates, qua ab essentia promanant; operationes, quarum essentia est radicale principium; accidentia quoque connaturaliter debita veluti species insulæ; nam & ista, sicut esse, ita etiam intelligibilitatem suam in & substantia habent, in qua continentur, major probatur. Cognitione, qua sit per species seorsim representantes causam & effectum, fit compendiendo & discurrendo, ut infra dicetur; ergo non cognoscit per species divisionis representantes causam & effectum, substantiam & accidentia.

Confirmatur. Si species Angelicæ non viderentur per ipsam essentiam, vel cognoscerentur per se ipsas, vel per species superadditas: neutrum potest dici: non quid per seipsum, quia sic non essent species incognitæ; non per alias species, quia hinc sequeretur procelius in infinitum: nam & istæ species indigerent aliis speciesbus, cum non sit major ratio de una, quam de altera.